5. 1. Junii. 58 Ex 444

[ Martino Cromero. 497 ...iely t. 1.

Stephanus Dei gratia rex Poloniæ magnus dux Lituaniæ, Russiæ, Prussiæ Masoviæ Samogitiæ Princeps Transilvaniæ ]

Stephanus, rex Poloniæ, ad Martinum Cromerum, episcopum Varmiensem.

Teka N... 97. Ex arch. capit. Varmien.

Reverende in Christo Pater, sincere Nobis dilecte. Non ita pridem ad Nos rediit ex Tartaria Martinus Broniewski, nuntius et aulicus noster; una cum eo venit quoque Islam ~~Kirei~~ Gierei sultan Cari Pracopiensis moderni orator. Is fœdus in scriptis secum attulit, in quo satis quidem speciosis et magnificis verbis amicitiam Nobis pollicetur, et nil se æque magis cupere, quam eam Nobiscum inire contendit, tamen illud demum subjungit: "Nisi nostri Cosaci, quos sibi suæque genti quadraginta millia arietum, decemque millia boum abegisse asserit, præsente ipsius oratore morte multati, damnaque omnia plene resarcita, et tot millia pecudum restituta fuerint, non jam ex parte sua, sed nostra fœdus hoc violatum iri." Prout Sinceritas Vestra ex eidem inserta fœderi particula, quam ex Arabico in Latinum fideliter, et verbum de verbo transferri, hisceque literis includi curavimus, melius poterit cognoscere. Nostra quidem sententia, ea res non amicitiam, aut pacem, sed manifestissimam inimicitiarum hostilitatisque denuntiationem sapere videtur. Hoc ipsum tamen pro instituto hujus Reipublicæ, veterique consuetudine cum Sinceritate Vestra, quemadmodum

...ról Stefan ...iadomia ...mera Bisk: ...nnego ...adanie ...ra Tatarskø ...lam Kiereia ...ie czyniąc do ...cpnez ...rzina Bro... ...ezego Poz... ...o gwdzenia ...o zrobionych ...W Kozaków ...ranem ...rzom 40m ...ici y 10m ...tów: y uka... ...ia śmiercią ...aków za ...napady ...atamie ...ymina ...ady tego ...atora sułta... —

Tartarica Cosatica.

quemadmodum et cum aliis primariis regni nostri sena-
toribus communicare voluimus, ut ea de re sententiam
suam Sinceritas Vestra Nobis sine mora perscribat.
Bene valeat. Datum Niepolomicijs, die prima mensis
Junii, Anno Domini (1585) [M.D.LXXXV.] Regni vero
nostri decimo.

Stephanus Rex.

[Reverendo in Christo patri domino
Martino Cromero eppo Varmiensi
sincere nobis dilecto.]